



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu**

**Lamparter, Heinrich**

**Jngolstadii, 1662**

Epistola XIV. Ad Evndem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43978**

## EPISTOLA XIV.

AD EVNDEM.

COMMENDAT HU-  
MILITATEM.

**D**uas à Reverentia Vestra accepi, & ne animi demissionem, quæ in illis elucet, laudem, illud dissimulare non possum; erudiri scilicet me à Reverentia Vestra in virtutis huius exercitio, dum illa tantâ modestiâ in eadem instruit à me desiderat. Neque refugiam ab eo doceri, quem tanta sui cognitione donatum intelligo; cum ego me ipsum vix in superficie nôsse didicerim. Illud etiam Reverentiæ Vestræ familiare animadverto, quod ijs omnibus, qui propriæ student abiectioni, antiquissimum est, de se humilia, de alijs non nisi sublimia sentire. Sed ut ut sit, mi Pater, ego in hac vita, calamitatibus plenissima, brevius, expedi-

tiuf.

V. tiusque instituendæ in cœlum viæ  
compendium non invenio, quàm  
H U. id, quod ab animi demissione no-  
bis præsternitur, omnibus omnino  
emerendum; majoribus præser-  
estra ac- tim, quos ità divinus spiritus affa-  
emissio- tur: *Quanto magnus es, humilia te in*  
laudem, *omnibus, & coram DEO invenies gra-*  
um; cru- *tiam.*

O si DEVS oculos animi nostri  
radijs suis collustret, palàmque no-  
bis faciat, quantæque sit sublimi-  
tatis, invenire gratiam in oculis  
DEI, ac in penitioem ipsius fami-  
liaritatem admitti! Novimus bene,  
Reveren- quanti in nostra Hispania dux ali-  
adverto, quis faciat, obtinere gratiam Re-  
pria stu- gis, aut ab eadem excidere. Et quid  
simum. rogo deesse potest illi, qui Regis  
non nisi cœli gratiam habet? Quod si quis  
ut sit, mi ex æquo felicitatem hanc æstimare  
amitati- nôrit, quo major, eo humilior erit:  
expedi- quia quanto humilior, tanto ipsi  
tius. gratior, & familiarior fiet. Est hoc,

mi Pater, argumentum ejusmodi, quod propriam nobis demissionē abunde persuadeat. Sed ex hoc ipso in superbiæ meæ notitiam devenio, quòd videam conquirendas mihi causas, quæ me nihili mei admoneant; cùm tamen me effe- rendi nullam, deprimendi verò in abyssū infirmitatis propriæ, quàm plurimas habeam. Cæterùm si de præcellentia superbia demissioque certarent, & æquo rationis judicio lis decideretur, nemo sanè superbiæ suffragaretur: at verò, ubi sini- stri affectus in consilium admittuntur, causâ cadit humilitas; cor- rumpente scilicet æmulâ, varijs artibus, arbitrorum judicia. Deus ab hac peste nos liberet, ac profun- dam contrariæ virtutis in nobis radicem figat: à qua vera sapientia progerminat, quæ nos ad Visitatio- nis, Provincialis, Rectorisque offi- cia quàm aptissimos reddit. Cùm enim

enim DEI sit, idoneos nos ad id genus munia efficere, non est quòd elatus animus de sapientia sibi ad futura præsumat: neque enim, qui sibi fidit, eâ dignus habetur, sed qui DEO; in cuius gloriam refert, quod ab eo gratis accepit.

2. Ego, Pater, binas in corde meo cellas oprabam construere, in quibus delitescam, neque unquam ad exteriora progrediar. Unam DEI gloria, divinæ alteram voluntati consecratam: hîc cibum, potum, somnum capiam; hîc vigilijs, precibus, Sacrificijs vacabo; hîc agam cum proximis, hîc meis fungar officijs: nusquam gloriam meam, aut voluntatem quærendo, sed abnegando, imò & perimendo, ac suffocando; ut solam majorem DEI gloriam in omnibus cõfiter, suavissimæque illius voluntati, semper implendæ studeam eo fervore, quo à Beatis in cœlo mentibus

tribus adimpletur. Quòd si & Reverentia Vestra in bina hæc animi latibula se se demiserit, poterit inoffenso pede omnem Mexici, Peruviamque tractum, & quidquid; inaccessi India, aut recens inventus orbis habet, percurrere, incredibili ubique cum fructu animarum. Non terrebunt onera officiorum, non pericula, casus adversi, mors, vana denique demonis, ministrorumque ejus machinamenta. Si enim in binis istis recessibus confidebit, DEVM secum habebit assiduam; qui copiosis gratiæ suæ fluentis animum identidem irrigabit, donec tandem eum, miseræ huic vitæ creptum, secum evehat in gloriam.

3. Interponat pro me apud DEVM Reverentia Vestra sanctissima sua Sacrificia ac preces, ut geminas hæc cellas in me ædificare dignetur, ne in mera abeam verba.

De

De Reverentia Vestra certum habeo, dicere eam non ex vano posse: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Eos verò, qui intus jam commorantur, pro ijs, qui etiamnum foris oberant, apud DEVM instare æquum, est, ut & illis accessus pateat. Si ad me litteras proximè dare placuerit, certio rem me faciat de ijs, quæ in medijs maris periculis, cœlesti magisterio edoctus est, ut & ego aliquem indè fructum hauriam. De me certò sibi persuadeat, nihil præter verba me afferre. Quam in rem cuperem, ut intima cordis mei penitus introspicere illi liceret; videret sanè quantum hæc scribendo erubescam. Atque utinam omnis ruboris eiusmodi causa, abesset, nec ego verba darè solùm, sed opera. DEVS medeatur huic malo. Eundem precor ut Reverentiam Vestram mihi, aliisque quàm diutis.

diutissimè seruet incolumem. Val.  
lisoleti 18. Octob. Anno 1610.

EPISTOLA XV.

AD PETRVM DE FIGVEROA  
SOCIETATIS IESV.

DE TOLERANDO MAIO-  
RVM TALENTORVM DE-  
FECTV.

*Pax Christi.*

**I**N promptu est responsio ad ea,  
charissime frater, quæ à me  
scire desiderat; si animum ad ea  
reflectam præcepta, quæ Servator  
nobis prælegit in præsepio. Nam  
in præsentia tantæ abjectionis, cor-  
ruunt omnes rationes vanitatem  
subnixæ. Si solis Philosophis, ac  
Theologis, ad imitationem Chri-  
sti, perfectionem Christianam,  
culmina sanctitatis, ac sublimiores  
in cœlo sedes accessus pateret, es-  
set sanè commiseratione dignum,  
videre